

Anlage 1.1

Verbot des Pennalismus Rostock 1614 August 18

Transkription in klassisches Latein Kersten Krüger und Jan Kowitz

Kommentierung Jan Kowitz

Universitätsarchiv Rostock 1.02.0 R I A 12

Original Latein Einblattdruck Folio

RECTOR ET SENATUS ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS

Tum demum felices esse Respublicas experientia testatur, cum ille, qui praeest, illos, qui subsunt, ut Poetae¹ verbis utamur, ducit bene rite sequentes. Cum scilicet Magistratus recte imperat, et subditi rite parent: Contra vero infelices et miseras esse, cum subditi contempto sui Magistratus imperio, et abiectis legum repagulis illud, quod libet, licere sibi arbitrantur.

Utriusque status fortunam haec etiam nostra litteraria Respublica hactenus experitur. Nam illa felicitate ante annos non ita multos felix ac florens diu vixit, a qua nostra hac tempestate, pro dolor paulatim deturbari incipit, calamitatibus non solum externis sed internis etiam, et ab illis profectis, qui in Academiae nostrae sinu foventur.

Ut de externis nihil queramus, tanta est quorundam, qui studiosorum nomine si venditant, et inter alios honestos iuvenes, velut fuci inter apes, imo lupi inter oves, grassantur, contumax nequitia et pertinax malignitas, ut ea vel sola Academiae huic evertendae, nisi sanis remediis huic pesti obviam eatur, satis superque, videatur sufficere. Omnes huius nequitiae partes exequi, neque hic propositum nobis, neque huius pagella angustia coeperit:

De illa tantum particula paucula hic de pluribus dicemus, qua se Scoristas esse profitentur, et recens ad nos e Scholis venientium (quos primo anno Pennales vocant) carnifices et tortores, et mox Libitinas et pestes ostensuri, quas legum poenas illis nostrae Academiae monstris domandis, et portentis profligandis paraverimus.

Unde genus hoc hominum natum sit, et quo auctore nomen hoc Scoristarum illi impositum ambigi forte multum non potest, cum enim Σκῶρ [Skōr - Kot, Exkrement] stercus significet, liquet utique illos non nisi Diaboli excrementa esse, *Teuffels dreck*, qua assa faetida, et pestilenti herba, ille Academiarum agros passim conserit. Sunt illi pulchri corporis deformes naevi, labes, et maculae; In sano corpore² aliunde adnatum et contagione conceptum Carcinoma, quo integrae partes vicinae mox inficiantur, ut denique totum corpus universali quadam πανολεθρία [panolethría – gänzlicher Untergang] depascatur et absumatur. Excipiunt hi iuniores ad nos venientes, non secus ac, lupi oves, imo Diaboli, ut dici solet, hominum animas, quas secum in infernum praecipitent.

Neque enim sufficit illis huiusmodi iuniores quavis iniuria contumeliose afficere, sed eosdem simul docent, ut, quae ipsi passi sint, mox aliis rursus inferant.

Primo Pennalismi (ut illa maledicta et diabolica ipsorum voce utamur) anno tales iuniores subiectum patiens vocant, constitutos adhuc in statu innocentiae; in quibus quicquid improbitas et nequitia suggesserit, impune sibi licere iudicant: Quos in cauponas secum seducunt, et alia loca, in quibus damnis, ut Comicus³ ait,

¹ Zu finden bei Aristoteles *politica* III,4 (1278b).

² Anspielung auf Juvenal *Saturae* X, 356.

³ Zitat in Plautus *Bacchides* 66.

desudascitur, pecunia emungunt, illorumque sumptibus pergraecantur et helluantur: et quos mox Pennalismi anno elapso, et innocentiae statu desinente, in statum nocentiae secum constituunt, ut inposterum aliis illa inferant, quae paulo ante ab aliis sibi illata pertulerunt.

Et hinc adeo illud, ut huiusmodi Scoristarum uberrima semper apud nos seges sit, et continuata quaedam quasi successio, et quae tam altas in Academico agro radices egit, ut nullo aratro, runcina⁴ aut sarculo domari et mansuefieri, nedum eradicari posse videatur. Et ab his adeo Zizaniis, quae inimicus vir Diabolus in Academiae agro etiam vigilantibus et resistentibus nobis seminavit, et excrementis suis stercoravit, infelices illi fructus repullulant, quibus tanquam sentibus, spinis, carduis, cicutis, et aconitis ager hic multis in partibus horret, et hic et alibi male audit.

Quando nimirum alius ab huiusmodi Scoristis divexatus est adeo graviter, ut postea in funestam melancholiam prolapsus, mox mortuus sit: Alii infami voce Pennalis provocantes et provocati totas propemodum nationes inter se funesta strage commisissent, unde tota Academia, et urbs turbari potuisset: Alii etiam ob execrabilem et Satanicam hanc vocem singulari se certamine provocantes, se immani facinore trucidarint; atque adeo huius pestis malignitas etiam paulatim ulterius proserptura videatur, ut vix locis sacris et privilegiatis Academiae domibus et Collegiis amplius parcat. Est autem horum Scoristarum una haec vita ac morum regulae: Nemo nostrum frugi esto⁵: Unde plerique eo insanae et nequitiae progrediuntur, ut non solum ipsi sub erectis Diaboli vexillis quasi militent, sed alios etiam quosvis ad se pertrahere conentur.

Quippe quorum vita et studia cum in omnem nequitiam proiecta sint, omnes illos, qui frugi esse student, oderunt et persequuntur. Qui enim iuxta leges vivunt, Magisiratui oboedientiam et reverentiam praestant, publicas lectiones audiunt, linguas, artes et facultates addiscunt, et hoc agunt, cuius causa missi huc sunt, et quibus denique in vita innocentiae, in studiis sapientiae curae et cordi est; illos torpentes Beanos⁶ et innocentes Pennales appellant.

Indigni profecto quos vel terra, ne dum Academiae ferant, quarum illi sunt Epidemiae et Pandemiae pestes. Hisce monstris profligandis, pestibus avertendis, et spinis ex hoc Roseto evellendis et eradicandis, nisi serio ac sedulo incubuerimus, periculum omnino erit, ne paulo post hoc quondam florens Rosetum, et in illo docentes cum discentibus exitio quodam universali penitus evertamur.

Norint igitur illi, sibi talibus Pestibus ac Cancris hic locum inposterum non fore, et DEI ductu et auspicio, et unanimi Concilii Academici Senatorum consensu et decreto constitutum esse, ut inquirantur et alio deportentur. Quoscunque igitur deprehenderimus huic pestilentiae operantes, Leges contemnere, suum Magistratum et Praeceptores, qua par est obedientia et reverentia non colere, publicas Lectiones non audire, cumque studiosorum nomen prae se ferant, Rectori nomina sua non profiteri, et iunioribus aliisque ad nos adventantibus diabolicas huiusmodi insidias struere illosque Basiliscorum more, qui alios venenatis radiis emissis, et semetipsos iisdem reflexis enecant, secum corrumpere et Diabolo mancipare, et denique funesto hoc Pennalis vocabulo aliis quoque modo molestiam exhibere:

⁴ Nach Augustinus *de civitate dei* IV, 8.

⁵ Umkehrung eines Heraklit zugeschriebenen Zitates in griechischer Form bei Diogenes Laertios IX,14.

⁶ Schüler, die sich noch nicht die Hörner abgestoßen haben. Siehe: <http://mateo.uni-mannheim.de/desbillons/depo.html> . [Letzter Zugriff 07.01.2021].

Illos quantum potest procul a nobis profligabimus; Partim enim illos iuxta Academiae leges publicis nostris litteris nonsine illorum ignominia, Parentibus, Patronis, Tutoribus, et Patriae illorum Magistratibus significabimus, ut mature hinc illos ad se revocent, quippe qui Academiae nostrae sint dedecori, in quibus omnes sumptus impensi pereant, alioquin fore ut publice ad illos relegentur:

Partim illos multorum dierum pro nequitiae qualitate carcere puniemus; Partim etiam ignominiosa Relegatione, aut infami exclusione, vel ad annos plurimos, vel in perpetuum toto vitae tempore exulare hinc iubebimus.

Atque hic adeo publice caelum et terram, Deum et homines testes vocamus nihil prius, fortius et antiquius nobis esse et fore, pace et concordia Academiae nostrae membris cum inter se, tum cum honestissimis inclytae huius urbis incolis, et recta omnium in hac Academia administratione et gubernatione:

Deum vindicem ac ultorem super omnes illos implorantes, qui ad Academiae gubernacula admoti haec inter alia, quae ad Academiae salutem unice diriguntur, non exsequentur. Certo interim nobis persuadentes illustrissimos et Amplissimos huius Academiae Patronos, qui hos conatus nostros in Dei gloriam et Academiae nostrae salutem promovere non solum possunt, sed etiam debent, haec talia esse promoturos, et neutiquam impedituros, aut nervos illos, quibus haec peraguntur, ullatenus incisuros esse.

Et quoniam nullum propemodum hactenus illorum facinorum, de quibus questi sumus, perpetratum est, quibus communis Mensae convictores non interfuerint, aut saltem interfuisse dicti non sint, de remedio etiam huic malo applicando matura a nobis suscepta est deliberatio.

Est mensa illa pauperibus destinata et Magnificis illustrissimorum nostrorum Principum sumptibus, et aliorum praestantissimorum et piorum virorum donis et eleemosynis ita instructa, ut non exigua studiosorum tenuiorum pars in illa magno suo emolumento commode vivere et sustentari possit.

Neque quidquam in eius Mensae Inspectoribus, Collegis nostris, desideratur, quo convictoribus eius Mensae bene sit, eorumque vitae et studiis optime consulatur.

Quemadmodum autem ne exiguus quidem Apostolorum Christi numerus purus fuit, quin unus inter illos Diabolus esset: Sic etiam in honestissimo illo illorum convictorum corpore non desunt huiusmodi gangraenae, quae vicinas sanas partes invadunt et inficiunt, et quibus pestibus avertendis, quae paremus remedia, supra exposuimus. Inter illos quidam Culinae praefectae molesti sunt, lautius tractari postulant: Et qui domi apud suos forte neutiquam talia invenerint, quae etiam hic fastidire non erubescunt. Quidam etiam cum in satis lauta parte domi sint, hic inopiam prae se ferentes in hac mensa pauperum vivunt, scilicet ut nummos, quos ita sibi comparcere videntur, in popinis et oenopoliis absumant. Alii denique in eodem ludo cum superioribus Scoristis edocti, et interdum etiam illorum Principes, iuniores et novitios ad mensas accedentes in cauponas secum abducunt, et miris ac miseris modis divexatos pecuniis, et libris, etiam vestibibus exutos ludificantur. Interea nihil quod bonae frugis sit agentes, ad nullum honestum studium animum accommodantes, nec lectiones publicas audientes, et, ut verbo dicam, ipsi corrupti alios corruptentes, sic ut ignorantiam et nequitiam ex voto nuncupasse videri possint. Et qui perpetrato quodam facinore, cui si non praefuerunt, saltem interfuerunt, si accusati veritatem fateri iubeantur, nihil magis sibi habent propositum, quam veritatem negare, et mendacia miris pigmentis fucare, hoc est, iuramenti sui oblivisci, et conscientiae vim inferre.

Cum vero indignum sit propter putrida quaedam et deplorata membra totum corpus in periculum adduci, et male passim audire, significamus talibus, ne in

Academia quidem, nedum in communi mensa fore locum.

Et hoc adeo publico programmate veteres communis Mensae leges revocamus et renovamus, et omnibus ac singulis communis Mensae Convictoribus ea demum lege in communi mensa vivere permissum esse significamus, ut secundum illas leges, et quidem praecise vivant.

Inspectoribus etiam Collegis nostris, serio hoc in mandatis datum est, neminem ad mensam illam admittere, vel in mensa illa vivere permittere, qui non exacte secundum illas leges victurum se promittat. Quod si qui sint, qui hoc facere recusarint, qui vitae integritatem et morum innocentiam consecrari noluerint: qui studia sua, quorum causa huc missi sunt, professorum praeceptorum suorum ductu et auspicio dirigere: Qui collegia, domos Academiae publicas inhabitare: pecuniam singulis mensibus pro mensa, singulis semestribus pro Museis praenumerare recusent et detrectent: Et denique, si qui lautiores quam ut beneficio Mensae pauperum sustentari opus habeant, illis contenti vivere recusent, quae ratione facultatum communis Mensae, quae lautiores apparatus non admittunt, apponuntur: illi noverint mensam hanc sibi vetitam et interdictam esse: Et longe satius esse, sponte inde discedere, quam turpiter inde eiici.

Et harum adeo communis Mensae legum praecise a Convictoribus observandarum Inspectoribus Dominos Collegas nostros exsequutores et vindices constituimus: Quibus etiam nostra auctoritate et auxilio, ubi opus fuerit, neutiquam defuerimus.

Poenas, quas noxiis Academiae nostrae membris et contumacibus legum nostrarum contemptoribus interminati sumus malumus Academiae nostrae studiosos prudenter cavere, quam temere et infeliciter experiri, re et opere ipso, volente Deo, exploraturos, leges nostras ultore Deo et magistratu vindice, non carituras, et Νέμειν [Nemesis - Rachegöttin] quae a Graecis ἰχνηία [íchnēía - Aufspürerin] dicitur, quod improborum vestigia sequatur, illi in cervice fore, cui crimen in fronte fuerit.

P.P. Rostochii die Augusti 18. Anno 1614.